

## VII.

## P l a n t a e

nonnullae horti academici Monacensis descriptae atque  
illustratae.

Auctor

CAR. FRID. PHIL. MARTIUS,

Med. Doct.

Quum hac proxima aestate in horto Academiae litterarum regiae plures florissent plantae aut nondum rite cognitae, aut minus diligenter illustratae, annuente Schrankio, viro perillustri, horti directore, earum nonnullas accurate describere suscepi, qua in re botanices studiosis me operam collocasse neque ingratham neque inutilem confido.

I. *Pulmonaria tuberosa* Schmidt.

P. foliis radicalibus lato-lanccolatis, in petiolos decurrentibus, scabris.

P. quinta pannonicâ *Clus. hist.* 2. p. 170 (?)

Ra-

*Radix* perennis in ramos multos divisa, vetusta tuberosa.

*Caulis* erectus sesquipedalis bipedalisve, teres, pilis albis rigidis scaber et quasi urens, inferne simplex superne divisus.

*Folia* uti caulis pilis albis hirta, lacte viridia subtus pallidiora, integerrima et apice acuto instructa; radicalia oblonga vel lato-lanceolata, aequae ac caulina inferiora lanceolata in petiolum longe decurrentia ibique paululum revoluta; caulina superiora lanceolata sessilia semiamplexicaulia.

*Flores* in corymbum terminalem collecti, breviter pedunculati, inferiores basi foliolo ovato-lanceolato suffulti.

*Calyx* semiquinquefidus, laciniis lanceolatis acutis, hirtus.

*Corolla* primo purpurea demum coeruleo-purpurea; limbi laciniarum aequales obtusae.

*Stamina* stylo breviora. *Antherae* lineares luteae. *Stylus* calycem aequans. *Stigma* parvum subcapitatum.

*Semina* quatuor subrotunda nigrofusca.

Species haec a vera *Pulmonaria angustifolia* sine ullo dubio est diversa. Forte ipse magnus Linnaeus hanc nostram pariter ac aliam stirpem *Pulmonariam* scilicet *mollem* Wolfii, nondum quod scimus descriptam, atque ipsam *P. angustifoliam* uno posterioris nomine complexus est. Certe *Pulmonaria* quinta pannonica Clus. \*) huc non pertinet, sed potius tuberosae aut mollis est synonymon. Videtur enim diligentissimum hunc observatorem minime fugisse differentiam profecto specificam inter veram *P. angustifoliam* atque *tuberosam* intercedere. Immo forte sub ejus *Pulmonaria* quarta rubro

\*) hist. 2. p. 170.

bro flore \*) atque *P. quinta rubente coeruleo flore \*\*)* jam ipsas *P. tuberosam* atque *mollem* distinxit. Quarum vero quae ad *tuberosam*, quae ad *mollem* pertineat vix eruere audeo.

Linnaeum vero sub unica *P. angustifolia* plures comprehendisse species ex eo elucere videtur, quod praeter figuram Pulmonariae quintae Clusii, aliam e Bocconio \*\*\*) citat, quam ad *P. vere angustifoliam* referendam censeo, tum herbarii *Schreberiani* cum ipsius nominis auctoritati innixus. Sit igitur haec *Pulmonaria angustifolia*:

*P. foliis anguste lanceolatis in petiolos decurrentibus molliusculis; praeter has notas quoque statura et floribus minoribus dignoscenda.*

Annæ forte hujus, in Austria hinc inde obviae, aliud synonymon est *Pulmonaria tertia pannonica* Clus. \*\*\*\*)?

*Pulmonaria tuberosa* pluribus Germaniae locis, ubi *angustifolia* lecta dicitur, provenit. In Bavariae subalpinis prope *Rosenheim* a viro rev. *Schmidt*, Beneficiato, lecta atque hoc ipso nomine donata est.

## II. *Onochilis pulla.*

*O. corollis calyce brevioribus; calycibus fructiferis pendulis.*

*Echioides nigricans* Desf. atl. I. p. 163.

*Lycopsis nigricans* Pers. syn. I. p. 162.

*Boragine silvestre annua* di Candia. Zanon. istor. bot. p. 48. t. 19. (icon. satis bona.)

*Buglossum procumbens annuum pullo minimo flore* Moris. prael. bot. p. 252; — hist. ox. Sect. XI. p. 439. t. 26. f. 11. (misera), et Zanon. rar. stirp. hist. p. 56. t. 38 cum icone ex historia bot.

*Radix annua?* — apud nos jam annum et quod excurrit duravit.

*Caulis*

\*) l. c. c. icone.

\*\*) ibidem.

\*\*\*) Mus. p. 110. t. 86.

\*\*\*\*) Stirp. pann. p. 149 c. ic.; — hist. 2. p. 169. cum icone eadem.

*Caulis* sesquipedalis et altior, debilis, subflaccidus, procumbens, pilis setisque albis patentibus hispidus, ramosus.

*Rami* erectiusculi.

*Folia* alterna, semiamplexicaulia basi decurrentia in caulis angulos, lanceolata vel lineari-lanceolata, acuta, uti caulis hispida, caescentia cum nitore, margine subundulata et apice saepe torta, patenti-reflexa, subdisticha, sesquipollicaria, bipollicaria, juniora supra rubentia.

*Flores* in axillis foliorum solitarii.

*Pedunculi* ad summum unguem longi, teretes, hirsuti, primum erecti, deinde ad latus deflexi.

*Calyces* in lacinias quinque aequales acutas divisi, hirsuti ut reliquae partes, maturo fructu ventricosi, penduli.

*Corollae* infundibuliformes, calycibus breviores. *Tubus* cylindraceus, gracilis, deorsum paululum dilatatus, colore albidus; *limbus* in lacinias quinque breves rotundatas integerrimas sectus, atro-sanguineus, holosericeo-nitens, ad faucem perviam tenuissime ciliatus.

*Filamenta* brevissima, tubo inserta. *Antherae* lineares, erectae, ad limbum pertigentes, cinereo-fuscae.

*Ovaria* quatuor subglobosa. *Stylus* filiformis, erectus, longitudine tubi. *Stigma* minutum subcapitatum, fuscescens.

*Semina* quatuor atro-violacea nitida, rugosa, duo saepe incompleta.

*Hab.* in siccis arenosis Barbariae, (et insularum graecarum?).

*Lycopsidis* character primarius in corolla superne incurva versatur, a qua nota quum nostra species aequae ac *L. vesicaria* L. recedat, Cl. Desfontaines sequi easque separare aequum duxi. Character gen. erit. qualem l. c. dedit Desfontaines. *Echioidis* nomen vero varias ob causas minus aptum, ideoque antiquum *Asperifoliae* cujusdam nomen e Dioscoridis L. IV. c. 23. introduxi. Affinis est *O. pulla* non solum *Lycopsidibus*, sed etiam *Onosmis corollis cylindricis*, a quibus praesertim calyce ventricoso quinquefido caute distinguenda.

Proxi-

Proxima est *Onosmae caspicae* W., a qua differt: radice uti videtur perenni, statura majori, caule laxo quidem, sed non divaricato, foliis latioribus, magis canis ob pilos molliores et densiores, corollis longitudine calycis, nec paulo longioribus, et aliis notis.

### III. *Pityranthus crassifolius*.

P. caule decumbente brachiato piloso, foliis oppositis ovatis basi cuneatis mucronulatis glabris, capitulis ovatis axillaribus.

*Illecebrum Achyrantha* Sp. pl. ed. Willd. 1. p. 1208.

*Radix* fibrosa perennis.

*Caulis* prostratus spithamaeus et longior, jam ex ipsa basi divaricato-ramosus, debilis, teres, pilosus, albo-rubens.

*Rami* oppositi.

*Folia* ex internodiis caulis ramorumque aliquantulum incrassatis, opposita, petiolata, ovata, acuta et mucrone brevi terminata basin versus cuneatim attenuata, integerrima, substantiae tenacioris, e viridi et albo varia, subtus pallidiora, glaberrima, basi tamen et costa media inferiore pilis sparsis obsita, unguicularia vel pollicaria, opposito plerumque minore.

*Petioli* breves quintam circiter foliorum partem aequantes, pilosiusculi subamplexicaules.

*Flores* in axillis foliorum collocati glomerulos ovatos efficiunt.

*Bractee* tres ad calycis basin, membranaceae, albae, lanceolatae, carinatae, medio nervo rufescente et pubescente percursae, inaequales, minore latiore.

*Calyx* corollam simulans pentaphyllus, foliolis inaequalibus membranaceis albis. *Foliola exteriora* tria aequalia ovato-lanceolata,

trinervia, nervis lateralibus ad dimidium pertingentibus, intermedio validiore excurrente atque in foliolis binis concavis mucrone brevi terminato, foliolo tertio plano mutico; omnia extus villosa, praesertim basi. *Foliola interiora* duo sibi opposita et genitalia amplectentia, minora, carinata, lanceolata, obtusiuscula, valde pilosa.

*Filamenta* quinque, insidentia annulo minutissimo viridi, germen cingenti (nectario auctorum); filiformia longitudine germiuis, alternantia cum totidem dentibus triangularibus acutis minutis, quasi filamentis sterilibus.

*Antherae* ovatae, germi incubentes, luteae.

*Germen* globosum paulo depressum, viride, glabrum, parvum.

*Stylus* brevis, crassiusculus, simplex.

*Stigma* subcapitatum.

*Utriculus* semen unicum globosum fuscum continens, irregulariter secedens.

*Patria* est ager Bonariensis. Floret apud nos in Frigidario.

Mira in *Celosia* eique affinibus *Achyranthe* et *Illecebro* generibus exorta est confusio, quum in his quid *calyx* rite vocetur, quidve *bractea* haud exiguis prematur difficultatibus; foliola enim illa calycem corollinum obvallantia, colore, substantia, situ et figura in singulis speciebus ita differunt, vt in *Achyranthe* pro bracteis in *Celosia* vero pro ipso calyce habeantur. Mihi quidem, plures horum generum species accurate perscrutanti, visum est, omnes promere flores apetalos, mere calycinos et squamas calycem extus stipantes optimo jure *bracteas* appellari. Suadet singularis in nonnullis speciebus harum partium conditio indeque facilis per analogiam conclusio. In *Celosia Monsoniae* nimirum, in *C. nodiflora*, *Achyranthe muricata* aliisque multis squamae tres externae, quae in systemate calycis



cis nomen adeptae sunt, saepius nec ex ipsius calycis basi oriuntur, nec ei incumbunt sed e pedunculo infra calycem enatae, late ab illo distant, ita ut decerptis floribus integras remaneant. Inde facile perspicitur, eas *bracteis* adnumerandas esse. Quamvis vero ab ipsis partibus floris alienae sint, in confirmandis tamen characteribus genericis eo gravioris videntur momenti, quo magis ad habitum faciunt et quo difficilior e sola nectarii indole harum formarum certa distinctio. Denique fructus conditio in auxilium est vocanda. Magni sane interest, utrum plura semina uno fructu condantur aut unicum solummodo, magni quoque quo modo aperiatur; quam ob causam novum genus introducendum putavi, cui *Pityranthi* nomen dedi a  $\pi\iota\tau\upsilon\rho\omega$  i. e. furfure. Character hic erit:

*Calyx* corollinus pentaphyllus, foliolis inaequalibus, extus bracteis tribus facie calycis.

*Corolla* nulla.

*Stamina* basi connata in tubum germen cingentem aut dentatum (tunc vero cum dentibus alternantia) aut integrum.

*Utriculus* monospermus, aut irregulariter dehiscentis aut horizontaliter, (ut in *Celosia albida* Willd.).

(Flores capitati, vel in spicas plerumque breves collecti.)

Huic generi praeter supra descriptam ex earum, quas vidi, specierum numero adscribendae sunt: *Achyranthes* axillaris Hornem., altissima Sw., porrigens Jacq., muricata L.; *Celosia* albida Willd., Monsoniae Retz., nodiflora Jacq.; *Illecebrum* brachiatum L., javanicum L., frutescens L'herit., sessile L., quod jam monente Vahl \*) eadem planta ac *J. ficoideum* L., lanatum L.

*Achyranthis* characterem ita definiendum puto.

Ca-

\*) Symb. bot. I. p. 22.

*Calyx* corollinus pentaphyllus, foliolis inaequalibus, extus bracteis tribus calyci plerumque dissimilibus.

*Corolla* nulla.

*Stamina* basi connata in cupulam aut integerrimam, aut dentatam, dentibus fimbriatis cum staminibus alternantibus.

*Utriculus* monospermus.

Huc pertinent: *Achyranthes* aspera L., argentea, Lam., echinata Retz., lappacea L., rel. — Genus, ingenue fateor, habitu magis, quam notis e flore desumptis conspicuum.

*Celosiae* character exhibendus:

*Calyx* corollinus pentaphyllus, foliolis inaequalibus, extus bracteis tribus facie calycis.

*Corolla* nulla.

*Stamina* basi in tubulum germen ambientem connata.

*Capsula* polysperma unilocularis circumscissa.

(Flores spicati.)

Hujus loci sunt: *Celosia* margaritacea L., cristata L., trigyna L., paniculata L., castrensis L., coccinea L., polygonoides Retz., comosa ejusdem et rel.

*Illecebrum* ita statuo:

*Calyx* corollinus pentaphyllus, foliolis aequalibus, subcartilagineis, apice fornicatis.

*Corolla* nulla.

*Stamina* cum squamulis (in nonnullis deficientibus) alternantia.

*Utri-*



*Utriculus monospermus.*

*Anychiae*, generis a Michauxio constituti \*), species optimo jure sub *Illecebro* militant, cum non nisi squamarum inter stamina defectu ab *Illecebro Paronychia*, *verticillato* et *arabico*, quas mihi examinandi facultas fuit, differant. Forte distinctam hujus generis subdivisionem exigunt, tam ob nectarii defectum, quam ob calycis foliola plerumque obtusa. *Illecebrum alsinaefolium* L., cum *Queria canadensi* L., quam Michauxius nomine *dichotomae* inter *Anychias* recepit, quod spontanea filamentis quinque gaudet, valde convenit ratione structurae floris atque habitus. Huc igitur referendum est.

De *Illecebro capitato* L. nihil certi praedicare audeo, a reliquis *Illecebris* differt foliis calycinis planis et capsula medio secundum directionem perpendicularem secedente.

IV. *Stachys arabica.*

S. annua, foliis cordato-ovatis, remote serratis, postice integerrimis, concavis, inferioribus petiolatis, floralibus sessilibus, verticillis 6-floris muticis.

*Radix* perpendicularis, divisa in fibras plurimas, annua.

*Caulis* ad basin statim divisus.

*Rami* oppositi adscendentes sesqui-ad bipedales et altiores, quadranguli, pilis brevibus albis sparsis hirti, virides.

*Folia* cordato-ovata, antice remote et simpliciter serrata, postice integerrima, concava, pubescentia, venosa, luteo-viridia, inferiora petiolata superiora ad verticillorum basin sessilia.

*Petiole* dilatato-plani, pubescentes.

*Verticilli* remoti sexflori.

Ca-

\*) Flor. bor. amer. I. p. 113.

*Calyces* ampli, quinquefidi, laciniis aequalibus lanceolatis, mucrone brevi albo terminatis, pubescentes, brevissime pedunculati.

*Stipulae* duae minutae lineari subulatae pubescentes ad cuiusvis calycis basiu.

*Corolla* magna, purpurascens et maculis obscurioribus irrorata. *Labium superius* oblongum integerrimum, extus pubescens; *inferius* patens reflexum glabriusculum.

*Antherae* flavae.

*Semina* ovato-triangularia, fusco-nigricantia.

Floruit haec species, ut videtur Arabiae indigena, in horto nostro per Augustum et Septembrem; sub dio vix semina perficit.

Competit huic locus in systemate juxta *Stachyn betonicaefoliam* a Cl. Desfontaines \*) descriptam et nitide delineatam.

#### V. *Pelargonium sanguineum*.

*P.* pedunculis multifloris foliis bipinnatifidis, foliolis remotiusculis, superioribus cuneato-decurrentibus, laciniis lanceolatis incisissimae caule suffruticoso piloso.

*Tab. IV.*

*Caulis* basi fruticosus teres, crassitie digiti, erectus, cortice fuscescente glabro vestitus, divisus in ramos erectos patentes, teretes, ad genicula remota tumentes, colore viridi vel rubente, undique pilis albis obsitos.

*Folia* sibi ramisque opposita, petiolata, laete viridia, hinc inde tenuissime pubescentia, pollices tres ad quinque longa; *inferiora* bipinnatifida. *Pinnae* suboppositae, saepius complicatae, superiores cuneato-decurrentes, infimae subremotae, in lacinias lanceolatas basin

ver-

\*) Annal. Mus. hist. natur. Tom. X. p. 304.

versus attenuatas, bi-vel tridentatas, subinde uno latere vel utroque integerrimas divisae.

*Folia suprema* minora plerumque simpliciter pinnatifida, laciniis integerrimis, vel (praesertim inferioribus) dentatis.

*Petiolii* foliis breviores, teretes, pilosi.

*Stipulae* in caule atque in ramorum geniculis lato-ovatae acutae, virides, demum aridae, persistentes, ciliatae.

*Pedunculi* terminales elongati, saepe pedales, teretes, pilosi.

*Involucrum* octophyllum vel enneaphyllum, foliolis lanceolatis ciliatis, umbellam multifloram fovens.

*Pedicelli* breves, pubescentes.

*Calyces* ante anthesin et fructiferi horizontaliter deflexi; florentes erecti, pubescentes, rubenti-virides. *Tubus* longus fere pollicem aequans. *Limbus* compressus, quinquefidus; lacinae lanceolatae longitudine aequales, superior latior reliquis, omnes margine tenui albo.

*Petala* quinque, superiora duo obovata, tria inferiora lanceolata, basin versus attenuata, apice rotundata subundulata, obscure sanguinea, superiora lineis ramosis tribus vel quatuor, inferiora binis picta.

*Antherae* flavae.

*Semina* dilute fusca villosa rarius maturescunt.

*Patria* forte Cap. b. sp.

*Locus* in systemate juxta *P. coriandrifolium*.

## VI. *Pelargonium pumilum* Willd.

*P.* pedunculis multifloris, foliis subrotundis, obsolete quinquelobis, crenatis, basi subcuneatis, junioribus zonatis, petalis linearicuneatis.

*P.* pedunculis subquadrifloris, foliis subrotundis obsolete lobatis crenatis, junioribus subzonatis, petalis linearibus *Willd. enum. II. p. 704.*

*Ic. tab. V.*

*Radix* lignosa, fibrosa, perennis.

*Caulis* fruticosus, ad radicem statim ramosus, erectus, pumilus pedalis ad summum sesquipedalis, teres flexuosus cortice cinereo-fusco glabro tectus.

*Rami* cauli similes erecti, flexuosi.

*Folia* opposita, petiolata, subrotunda, obsolete quinqueloba, lobis inciso-crenatis, crenis binis ternisve, lobo intermedio latiore; in petiolum cuneatim decurrentia ibique integerrima, basi aliquantum concava, crassiuscula venis subtus prominulis, tenuissime pubescentia, lacte viridia, juniora zona purpurascente notata.

*Petioli* longitudine folia fere aequantes, semiteretes, supra canaliculati, pubescentes.

*Stipulae* juxta petiolorum basin membranaceae, cordato-oratae, acutae, subciliatae, deciduae.

*Pedunculi* laterales terminalesque longitudine tubi calycis, glabriusculi.

*Involucrum* hexaphyllum vel heptaphyllum, foliolis ovato-acuminatis, ciliatis.

*Flores* in umbella singula circiter 6—8.

*Calycis* tubus nectarifer teres, pilis sparsis obsitus, infra purpurascens, supra paulo incrassatus et viridis. Lacinae calycinae aequales, lanceolatae, acutae, glabriusculae.

*Petala* lineari-cuneiformia apice rotundata, obscure coccinea, duo superiora paululum longiora amoene punicea striis duabus longitudinalibus obscurioribus notata.

*Antherae* puniceae.

*Semina* hujus speciei matura nondum vidi, indeque prolem esse hybridam suspicor. *P. scaudenti* certe valde est affinis ejusque diagnosi ita emendanda erit:

*P. pedunculis* multifloris foliis subrotundis obsolete lobatis grosse crenatis, basi subcordatis, zonatis, petalis linearibus latitudine laciniarum calycis (striatis).

*Patria* Cap. b. sp. dicitur, floret diutissime in Frigidario, id quod affirmat opinionem supra indicatam, plantam esse hybridam.

### VII. *Pelargonium amplissimum.*

*P. pedunculis* bi-quinquefloris, foliis semiorbicularibus glaucis trilobis, lobo medio trifido lateralibus bifidis, serratis, versus basin leviter cordatam integerrimis, caule erecto fruticoso.

*P. pedunculis* bi-quinquefloris foliis planis glaberrimis semiorbiculatis septemlobis serratis basi leviter cordatis. *Willd. suppl. enum. p.* 48.

*Radix* lignosa, fibrosa, perennis.

*Caulis* erectus, tripedalis et major, teres, lignosus, cortice fusco glabro, in junioribus levissime pubescente.

*Folia* alterna oppositaque longe petiolata, circumscriptione semiorbiculari sesquipollicem longa et duos plerumque lata, subpalmato-triloba, lobis lateralibus in medio profunde incisus, intermedio apice leviter trifido, omnibus acute et inaequaliter serratis, — basi subcordata et paululum concava integerrima, glaucescentia subtus pallidiora, subcarnosa, venis albidis subtus prominentibus, rigidiuscula, glaberrima.

*Petioles* patentes, longissimi, inferiores folia longitudine bis superantes, teretes, glabriusculi.

*Stipulae* ovatae acuminatae, membranaceae, marcescentes.

*Pedunculi* elongati tri — sexpollicares, teretes, piloso-hirti.

*Involucrum* parvum pentaphyllum, laciniis ovato-acuminatis, ciliatis, membranaceis, marcescentibus.

*Umbella* quadri — quinqueflora, subinde quoque bi — triflora.

*Pedicelli* paulo sursum flexi.

*Tubi* calycum sesquipollicares, teretes uti pedicelli piloso-hirti.

*Laciniae* calycinae sub anthesi erectae, lanceolatae, acutae, margine tenuissime membranaceo subciliato.

*Corolla* ampla pulcherrima. Petala candida, tria inferiora obovato-cuneata immaculata, duo superiora latiora obovata, apice submarginata, lineis nonnullis purpureis sursum ramosis inde a basi usque ad medium elegantissime picta.

*Semina* fusca villosa, apud nos vix rite maturescentia.

Quod ad staturam floresque attinet pulchra haec species affinitate satis arcta cum *P. grandifloro* conjuncta est, et hanc ob causam a nonnullis pro planta hybrida habetur. Differt vero ab illo praesertim forma foliorum; sunt enim in *P. grandifloro* quinqueloba, lobis posterioribus divergentibus, serraturis minoribus et basi quasi triangulo excisa nec subcordata. Quod si vero ulterioribus innoverit disquisitionibus, plantam esse hybridam, cujus rei movet suspicionem seminum conditio, formam fallacem et brevi tempore botanicorum oculis se subducturam litteris mandasse juvabit.

### VIII. *Phyllanthus cantoniensis*.

*P.* foliis pinnatis floriferis, foliis obovato-oblongis, pedunculis axillaribus solitariis, inferioribus foemineis, superioribus masculis, ramis pinnaeformibus aucipitibus, caule annuo subancipiti.

Ic. Tab. VI.

*Radix* perpendicularis fibras multas ramosas emittens, annua.

*Cau-*



*Caulis* pedalis et sesquipedalis erectus, glaber, ramosus, ad ramificationes flexus et ramis utroque latere decurrentibus angulatus ferme anceps, e viridi purpurascens.

*Rami* cauli similes, patentes, subgemini, per paria alternantes.

*Ramuli* foliiferi, quos melius petiolos communes diceres, alterni compresso-ancipites ad foliorum basin dilatati, glabri.

*Folia* pinnata cum impari quinque- ad octojuga, alterna, breviter petiolata, obovato-oblonga, basi aliquantulum obliqua, apice truncato-rotundata et mucrone brevissimo instructa, glaberrima, amoene et fere glaucescenti-viridia, subtus pallidiora.

*Stipulae* ad foliorum basin minutae, cordatae acuminatae, et aliae minutissimae setaceae ad quemcumque petiolum partialem.

*Flores* axillares, ad singulorum petiolorum partialium latus inferius singuli, subsessiles, inferiores 6—8 foeminei totidemque superiores masculi.

*Flores masculi* dimidiam lineam lati.

*Calyx* monophyllus profunde sexfidus subcampanulatus albus tener, persistens laciniis aequalibus ovatis (sub lente) inaequaliter dentatis, pellucidis, fasciculo vasorum notatis.

*Nectarium* (vel si mavis *Corolla*) minimum, tanquam coronula germini subjectum monophyllum sed in lobos sex aequales, quartam laciniarum calycis, cum quibus alternant, partem metientes, ungue brevi angusto limbo subrotundo crenulato, divisum, crassiusculum viride.

*Filamenta* tria in columnulam triquetram calyce breviorum connata.

*Antherae* subglobosae didymae contiguae, flavae.

*Flores foeminei* iis, qui mascula continent organa, paulo majores.

*Calyx* monophyllus, sexpartitus, persistens, tenuis, laciniis aequalibus lanceolatis patentibus, sub microscopio consideratis hyalino-

lino-pellucidis, cellulosis, in medio vasorum fasciculo purpureo ante apicem desinente notatis, margine eroso-denticulatis.

*Corolla* nulla, nisi pro ea habeas anulum tenuissimum luteo-virescentem, basin germinis cingentem, cui *nectarii* potius nomen competit.

*Germen* superum, subglobosum, viride, glabrum, attenuatum in *Stylos* tres breves, teretes, bifidos.

*Stigmata* sex, in quovis stylo duo, subcapitata.

*Capsula* subglobosa depressa, sexsulca, tricocca, junior tecta epidermide viridi-rubente granulosa, postea in lacinias sex, totidem capsulae areolas vestientes, secedente; matura centro poro parvo pertusa, denique in cocculos tres elasticæ dehiscentes dividitur.

*Semina* in quovis cocculo bina, triquetra ferruginea, transversim sulcata. — Speciem hanc elegantem, nisi nomen fallit, *Chinae* indigenam, in caldario servavimus, ubi per longum temporis spatium florens, plurima semina protulit.

*Locus* in specierum enumeratione post *P. debilem* Klein.

#### IX. *Phyllanthus Niruri*.

*P.* foliis pinnatis floriferis, foliolis oblongis obtusiusculis, pedunculis axillaribus, inferioribus subgeminis masculis, superioribus solitariis foemineis. *Sp. pl. ed. Willd. IV. p. 583.*

*Ic. tab. VII.*

*Radix* perpendicularis in ramos multos divisa, annua.

*Caulis* pedalis et altior, erectus, teres, paululum flexuosus, glaber, inferne purpurascens superne viridis, ramosus.

*Rami* patentes.

*Folia* alterna, petiolata, patentia, cum impari pinnata, 10- ad 16-juga. Foliola alterna breviter petiolata oblonga apice obtusa sine mucrone, glabra, laete viridia.

*Petioli* teretes glabri.

*Sti-*

*Stipulae* ad foliorumque basin setaceae purpurascentes.

*Flores* infra foliola axillares pedunculati; inferiores masculi gemini vel terni, diverso plerumque tempore evoluti, superiores foeminei solitarii \*).

*Flores masculi* lineam ad sesquilineam et ultra lati.

*Calyx* monophyllus, tener, campanulatus, quinquepartitus laciniis ovatis obtusis, albus subinde in laciniarum parte media virescens, persistens.

*Corolla* abest, nisi nectarium dicas.

*Nectarium* parvum monophyllum quinquepartitum, lobis cum laciniis calycinis alternantibus subrotundis, margine undulatis.

*Filamenta* tria, inferne connata in cylindrum, apicibus vero distantia.

*Antherae* biloculares subglobosae, contiguae, flavae.

*Flores* foeminei magnitudine et calycis structura masculinis similes, foecundati tamen paulo majores.

*Nectarium* annulus membranaceus tenuis e luteo viridis, integerrimus, germi subjectus, idque cingens.

*Germen* superum globosum, albo-virescens glabrum.

*Stylus* teres, inferne simplex, tunc trifidus, ramis patenti-divergentibus, luteo virens.

*Stigmata* oblonga obtusa subdidyma, luteola.

*Capsula* globosa sed valde depressa, sexsulca tricocca, immatura tecta epidermide glabra albo-virescente, quae primo in lacinias sex aequales rumpitur, quibus demum delapsis capsula ipsa in conspectum venit. Haec in centro poro minimo est pertusa et denique in cocculos tres dilabitur.

*Semina* in quovis cocculo bina, forma semilunari, fusca, transversim sulcata.

*Patria* est India orientalis.

\*) Flores in speciminibus indicis, quae vidi, minores quam in planta hortensi.

---

 E x p l i c a t i o t a b u l a r u m .

*Pelargonium sanguineum.*

Tab. IV.

*Pelargonium pumilum.*

Tab. V.

Tab. VI.

Fig. 1. *Phyllanthus cantoniensis.*

- 2. *Corolla mascula* } *multo aucta.*
- 3. *Stamina* }
- 4. *Corolla foeminea* }
- 5. *Capsula junior in calyce persistente, ter aucta.*
- 6. *Capsula maturitali proxima, vestita membrana exteriori in areolas dilabente.*
- 7. *Capsula matura.*
- 8. *Eadem aucta.*
- 9. *Semina.*

Tab. VII.

Fig. 1. *Phyllanthus Niruri.*

- 2. *Corolla masculina magnitudine naturali.*
  - 3. *Eadem*
  - 4. *Stamina* } *multo aucta.*
  - 5. *Corolla foeminea* }
  - 6. *Fructus immaturus, corollae patulae insidens.*
  - 7. *Fructus immaturus, laciniis corollae revolutis.*
  - 8. *Idem magnitudine auctus, membrana externa jam in lacinias secedente.*
  - 9. *Semina magnitudine naturali et aucta.*
-



*Pteronotus sanguineus.*







*Geranium macranthum*








*Phyllanthus*

*cantonensis*





*Phyllanthus visicu*

Hortus Abb



# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Denkschriften der Akademie der Wissenschaften München](#)

Jahr/Year: 1814-1815

Band/Volume: [05](#)

Autor(en)/Author(s): Martius Carl Friedrich Philipp von

Artikel/Article: [Plantae nonnullae horti academici Monacensis descriptae atque illustratae 175-192](#)